

de baptismo a Nicephoro archistro *nugaciter* suscepto, qui, abjecta *nugacitate*, reiteratus non est (*Epist. CCXXVII. ad Alypium*). Hinc 4. Tract. V. in *Jo. n. 18* loquens idem s. doctor de ministro baptismi: *Non timeo, inquit, adulterum, non timeo ebrium.... quia columbam atendo, per quam mihi dicitur: Hic est qui baptizat;* 5. et lib. VII. de Baptismo, propositis sibi questionibus, an valeat baptismus in mimo cum fide, si quispiam inter agendum, repentina pietate moveatur; tum, an valeat illud quod in mimo datur, si quis existat, qui fideliter subito commotus accipiat; anceps hasit, et divinum judicium per alieujus revelationis oraculum implorandum dicit, ad decernendum an valeat, quod totum ludicre et nimice et joculariter ageretur (*Cap. 53*). Quomodo igitur, post XII ferme secula, Ecclesia illud minime valere potuit decernere? 6. Rursum idem Augustinus lib. III contra Cresconium c. VIII sacramenta semini comparat, quod operarium quidem exposcit, sed quamente operetur, qua labore intentione non curatur. 7. Augustino consonat Chrysostomus dicens *Pater et Filius et Spiritus S. omnia facit: neque enim justum est propter alterius malitiam ad salutis nostrae symbola fidicis accedentes offendit* (*Hom. LXXXVII. in Joan. n. 4. ed. Maur.*) ; 8. consonat Isidorus Pelusiota, qui nefarios sacramentorum ministros comparat *Balaamiasin* (*Ep. XXXVII. lib. II. edit. Billii. Paris. 1638*), que pariter Chrysostomi similitudo est. Ergo.

*Resp. ad 1. Dist.* Quin tamen validum dicatur ejusmodi baptismia, C. Sceus, *Tr. Addo Genesium in sanguine suo baptizatum fuisse* (1).

*Ad 2. Dist.* Illud tradunt laudati scriptores ex dubia fama, quæque falsa ex chronologia reprehenditur non solum a Tillemontio, sed et ab ipso Basnagio (2).

(1) De hoc Genesio diversi diverse sentiunt. Nonnulli in dubium revocant ejus historiam veritatem; sed perperam. Cf. Acta ss. Bolland. tom. v. mens. August. pag. 119, et seqq. Ruiuari. Acta Min. sincera edit. Veron. pag. 256. Alii saltē dubia movent circa collationem ejus baptismi in scena, quia, iñtūm, nemo de hoc baptismō in scena collata mentionem inject usque ad Adonem Vienn. qui est sec. IX. scriptor, defunctus siquidem est Ado an. 880. Ast vero Ado non proprio marte hac scriptis, sed refert Acta antiqua, que simpliciter sua se commendant, ac propterea a Tillemontio, aliusque recensis scriptoribus preferuntur actis Surianis. Cf. Tillemont *Mémoires pour servir à l'hist. ecclésiastique*, tom. iv. p. 694. et seqq. Ceterum duobus modis exterior Ecclæsiae ritus per jocum exerceri potest: altero quidem, ut ritus simulat tantum representetur; et hic modus, utpote ille, in quo sistit tota agentis ratio, sacramenti veritatem impedit; altero vero, cum quis intendit facere, quod facit Ecclesia, etsi ad jocum, lucrum, aliquivm malum finem; hac porro posteriori ratione administratum baptismus valet, cum hic modus extrinsecus sit ipsi baptismus, ut alii cuiilibet sacramento. Cf. s. Th. 3. p. q. 74. a. 2. ad 2. Potuit propterea hoc posteriori modo baptismus administrari Genesio, in hypothesi ilorum qui pugnant pro eius validitate.

(2) Diversa pariter, imo contraria sunt eruditiorum judicia circa hoc baptismus, quod perhibetur a s. Athanasio ad hunc puerum collatum. Haec Ruffini historiam, ex qua postea eamdem hauserunt Socrates et Sozomenus, rejeclitum Tillemontius *Mémoires*, etc., tom. viii. p. 631. not. II. sur l'*histoire du baptême de S. Athan.* Maurini edit. in Vita S. Athan. opp. tom. I. p. 5. n. 2. quibus assentitur ex heterodoxis Basnagus in *Anal. politico-eccl.* tom. II. ad an. 326. n. 14. Eam vero recipiunt, præter Baronium ad an. 511. n. 61. Pagius in *Critica an. 511. n. 20*. Papebrochius ad diem 2. Mai. pag. 288. § 20. Henschenius autem ad diem 26. Febr. pag. 656. c. haret dubius. Quidquid porro

C. vere, Subd. Rata habita sunt ab Alexandro ejusmodi baptismata, postquam deprehendit in Athanasi animum imitandi, adeoque et faciendi quod in Ecclesia fieri vidit, prout subdant iidem historici, C. alias, N. Id ipsum dicendum de puer hebreo, in ora maritima a pueris ludentibus baptizato, testante Nicephoro Callixto (1).

*Ad 3. Dist.* Id est, deposita, quam prius ostenderat animi levitate et inconstancia, ob eam quam Nicophorus expertus est Dei punitionem, C. id est, nimice, seu fichte, N. (2).

*Ad 4. Dist.* Scilicet ebriosum seu malum juxta s. Augustini scopum, et emendationes editiones (3), C. vere ebrium, N.

*Ad 5. Dist.* Hasit s. doctor si quispiam repentina pietate moveatur, vel subito fideliter commotus accipiat, C. hasit circa hæc baptismata in se spectata, N. In priori igitur tantum casu præcise ancesps fuit s. Augustinus, ut ejus verba declarant, ac in tali casu implorandum censuit divina revelationis oraculum, quod postea editum est ab Ecclesia cui divina assistentia praesto erat utpote legittimæ Scripturarum et traditionis interpreti. Quod si in hypothesi adverariorū Ecclesiae post XII. secula non potuit definire questionem, circa quam hasit dubius s. Augustinus, quare ipsi affirman, valida esse hæc ipsa baptismata, post XII. secula?

*Ad 6. Dist.* Non attenditur juxta s. Augustinum in ministro, an ejus intentio fuerit bona vel mala, ad sensum Cresconii donatiste, C. an nulla omnino fuerit, N. (4).

*Ad 7. Dist.* Non obstante bona vel mala sacerdotum vita, de qua loquitur s. Jo. Chrysostomus, C. deficiente intentione, N. De hac enim ibi non disserit s. doctor.

*Ad 8. Dist.* Similitudine utens inadequata, C. adequata, N. Alioquin etiam bruta animantia possent sacramenta administrare. Ceterum sensus s. Isidori colligitur ex iis, que ibidem scribit: *Is qui initiat, quantum ad salutaria symbola spectat, ex improba sacerdotum vita nullo danno afficitur* (5). De sola prouinde ministrorum improbatitate loquitur.

*Inst. I. Innocentius IV.* scribit in III. decret. minime requiri quod baptizans sciat, quid sit Ecclesia.... nec quod gerat in mente facere quod facit Ecclesia; immo, si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facil Ecclesia, sed tamē facit, quia formam sit, salem valde suspecta ea est, ac difficile omnino cum chronologia conciliatur.

(1) H. Eccl. lib. II. cap. 57. Refert tamen idem historicus i id. puerum illum a ludentibus infantibus prius in mari tinctum, jussu Constantiopolitani episcopi denovo fuisse baptizatum, salem, ut innuit, sub conditione.

(2) Ut patet ex toto contextu cf. lib. s. Doctorem.

(3) Ita legunt Lovanienses, Maurini, Clericus ipse; et exigunt orationis series; scribit enim loc. cit. s. August.

« Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidiam. »

(4) Nempe ibi agitur de intentione mala extrinseca ipsi actioni baptismatis, ut patet ante declaravimus.

(5) ὁ τὸν πόνους οὐδὲν παραβάται εἰς τὸν αὐτορεθέντα σύνεσθαι, οὐ τὸν πόνον πονεῖ, πονεῖται. pag. 157. Idem prorsus est sensus S. Jo. Chrysostomi qui loc. cit. querit reverentiam conciliare sacerdotibus, etsi isti interdum non ea, qua ipsos decet, mortuum sanctitate vivent.

servat, nihilominus valere baptismum. 2. Ratio est, quia minister est instrumentum, in instrumento autem nulla requiritur intentio; 3. præterea, ut sacramentorum, ita divini verbi dispensatores sunt sacerdotes: porro divini verbi efficientia non pendet ab intentione ministri, ita neque efficientia sacramentorum, ut luculenter patet in eucharistia, quæ sine ulla intentione verē distribuitur; sic etiam oratori regio satis est, si mandati litteras ostendat, quidquid denuo animo verset. 4. Demum, si vera esset catholicorum doctrina, illinc perpetuus metus et graves ambages exigerent in animis sacramenta suscipientium, numquam satis tui essent, num ea legitime suscepint necne. Ergo.

*Resp. ad 1. Dist.* *Dummodo baptizare (minister) intendat*, ut ibidem declarat Innocentius, C. si non intendat baptizare, N. Non debuit propterea Turretinus, qui nobis Innocentii auctoritatē objicit, hæc verba omittere; Rom. pontifex exempli Saraceni baptizantis, qui tamen ignorat quid sit Ecclesia (1), quod superius dixerat, declarat.

*Ad 2. Dist.* Ast vivum, animatum et liberum, C. inanimatum, N. (Cf. s. Th. 3. p. q. 65. aa. 8. et 9. ad 1.)

*Ad 3. Neg.* has paritates, quia verbum divinum est speculativum, non autem practicum, cuiusmodi sunt Sacra menta; cum Eucharistia porrigitur, jam confecta est; oratoris regii exemplum pariter non est ad rem, cum non agatur de actione practica.

*Ad 4. Dist.* Quæ exoriri aequi possent ex defectu aliquo vel materiae vel formæ, C. ex sola intentione, quin adsit externum aliud indicium, N. censem etiam s. Thomas, ministrum agere ex nomine Ecclesiae, ac proinde in verbis quæ profert, exprimi intentionem Ecclesiae, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti. (Cf. s. Th. loc. cit.)

#### CAPUT IV. DE SACRAMENTORUM RITIBUS SEU CEREMONIIS.

Relicta philologis cura investigandi originem et etymologiam vocis *cærenonie* (2), nos per eam intelligimus ritum externum ac religiosum institutum ut majori pompa atque splendore peragantur sacra; nam:

(1) Cf. Innoc. IV. in quinque libros *Decretalium Commentaria*. Venet. 1588. fol. 187. ubi inter cetera scribit: « Et ipse (Saracenus) baptizans tanquam minister conferat, quod alii baptizantes conferunt, licet non credat ipsum posse aliiquid operari, vere baptizatus est, sed si hoc non intendet, non baptizaret, nec est necesse, quod aliquis sciat, quid in his Ecclesia intelligat, vel etiam quod sciat, vel credat Ecclesiam esse. » Non poterat profecto hic Pontifex clarius mentem suam aperire. Adeo hæc commentaria juris canonici non pre se ferre auctoritatem, ut ipso exarata cum adhuc in minoribus esset.

(2) Cf. preter s. Isidorum *Originum* lib. 6. tit. de Officiis, Magri Domin. et Carol. FF. *Hierolexicon*. Jos. Vicecomitis *Observationes Eccl. de antiquis Baptismi ritibus*. Paris. 1618. cap. 2. Ger. Joan. Vossi *Etymologicum ad vocabulum ceremoniam*. Opp. ed. Amstel. 1693. tom. I. Ceterum accurate Domin. Magri observat in op. *Notitia de vocabulo Ecclesiastico*, illud intercedere discrimen inter Ritum et ceremoniam, quod habetur inter aquam et lotionem; etenim ceremonia juxta mentem cone. Trid. est ipsa actio, ritus est modus prescriptus, quo fit ipsa actio. Promiscue tenem usupari hæc voces consueverunt.

*Mentes fideliū, ut inquit Tridentinum, per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum contemplationem excitantur* (Sess. XXII. cap. 5).

Variae sunt cæreniarum species. Aliae constunt in verbis, ut exorcismi; aliae in actionibus et corporis motibus, ut crucis signa, genuum flexus; aliae in exterrnarum rerum usu, ut aqua lustralis, lumina, vestes. Quædam Christum ipsum auctorem habent, quædam Apostolos, quædam Ecclesiam. Ex his alias in diuina Ecclesia usurpantur, aliae vero in peculariis Ecclesiis tantum obtinent. Nos de his, quæ universim receptæ sunt, hic agimus. Hunc cæreniarum apparatus in solemni sacramentorum administratione, plerique protestantur, praesertim ex calviniana secta, rident et aspernantur. Adversus quos sit

*PROPOSITIO.* — *Recepti et approbati Ecclesiae catholicae ritus in solemni sacramentorum administratione adhuc consueti, nec contemni, nec sine peccato a ministris pro libito omitti, neque in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari possunt.*

Est de fide, Concilium enim Trident. sess. VII. Cap. XIII. tulit his verbis expressum: *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in solemni sacramentorum administratione adhuc consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anath. sit.*

Hæc porro definitio directe afficit potestatem, qua Ecclesia a Christo instruta est ea instituendi, que spectant ad sacramentorum administrationem, salva eorum substantia, prout declaravit eadem synodus sess. XXI. cap. II. dicens: *Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suspicentium utilitati, seu ipsorum sacramentorum veneracioni, pro rerum, temporum et locorum varietatibus, magis expedire judicaret.* Quare perinde est receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus contemnere atque pro libito omittere, aut in novos privata auctoritate mutare, ac denegare potestatem Ecclesiae a Christo collatam, quod salva fide fieri omnino nequit (1).

Hac autem potestate Ecclesiam a Christo instruam esse, constat 4. ex Apostolo, qui I. Cor. XI. cum plura de eucharistia sacramento scripsisset, concludit v. 34. *Cetera cum zeno disponam.* Quibus verbis nonnulla, quæ ad majorem conciliandam huic

(1) Hic notandum tum quoad hanc, tum quoad alias ejusmodi theses, extenus eas de fide esse, quatenus continent factum cum jure conjunctum. *Factum* in praesenti propositione sum ritus ipsi seu ceremonie, quæ usurpantur in solemni sacramentorum administratione; hæc profecto neque sunt divinitus institutæ, neque in divina revelatione continentur. *Jus* est potestas a Christo Ecclesiae collata eismodi ritus seu ceremonias instituendi; porro de hoc jure ex divina revelatione constat. Negare propterea, contemnere, aut docere posse hosce ritus sine peccato omitti, est indirecte saltem impetrare jus ipsum, quod ex divina institutione Ecclesiae competit; hoc siquidem contra fidem est.

sacramento venerationem, et ad ubiorem fructum ex eo percipiendum spectant se constitutum pollicetur Apostolus, prout probe animadvertisit s. Augustinus, huc ipsa verbi expendens: *Unde intelligi datur, inquit, (quia multum erat, ut in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia) hoc ipso ordinatum esse, quod nulla uorum diversitate variatur* (1).

Constat 2. ex horum rituum institutione, qua coepit ab ipso christiane religionis exordio. Illorum enim meminerunt Justinus (2), Tertullianus (*de Corona, cap. 3 et 4*), aliique secundi ac tertii seculi scriptores, qui de iis loquuntur tanquam ab immemorabili ubique receptis, ac repetunt ab apostolica traditione. Horum testimonia ac monumenta reliqua que id ipsum confirmant, summo studio collegerunt et expenderunt prout Bellarmine, Bona, Casalius, Vicecomes, Robertus Sala, Pellicia, aliique (3).

Constat 3. ex antiquissimis Constitutionibus, qua apostolice dictae sunt, et Clementis Romani; ex liturgiis omnibus orientalibus et occidentalibus, que in iis, qua ad substantiam spectant omnes mire consentiunt; ac produnt propterea hoc ipso consensu communem originem, quod vel ipsi doctiores protestantes animadverterunt (4).

Quare vel ipsi pseudo-reformati, qui prius Ecclesie catholicae succensuerant eo quod tali potestate uteretur, postea eamdem sibi arrogarunt; nam in prefatione *Confessionis helveticae* fatentur: *Semper in ritibus et cæremoniis Christi ecclesias usas esse libertate; idque ex historia innotescere; eamdemque potestatem sibi vindicarunt ac in proxim deduxerunt non ita pridem lutherani in regno Borussiae* (5).

Non posse autem sine peccato ejusmodi ritus in universa Ecclesia receptos, a quolibet Ecclesiae pastore privata auctoritate aut omitti aut mutari, vel inde patet, quod hi ritus valde conferant ad instructionem fidelium, utpote arctissime conjuncti cum doctrinis dogmaticis et moralibus quarum, ut ita loquar, expressio sunt (6). Hinc est, quod quicunque

(1) Epist. LIV. ad Januar. cap. 6. n. 8. Tum haec, tum sequens altera epistola ad Januarium date sunt de hoc argumento ac legi merentur.

(2) Apolog. I. n. 61. ubi meminit jejunii, orationis, immersionis in collatione baptismi; et n. 65. ubi memor osculum, acclamationem, preces, gratiarum actiones, distributionem in celebratione eucharistie.

(3) Casalius *de veteribus sacris Christianorum ritibus*. Vol. 1. fol. Romæ 1647. præsertim lib. II. Jos. Vicecomes op. cit. *De antiquis Baptismi ritibus*. Rob. Sala in notis et illustrat. *Berum liturgicar. Card. Bona* vol. IV. fol. Augustæ Taurin. 1747. Pellicia de Christianæ Ecclesiae primæ, media, et novissime politia libri sex. vol. II. Venet. 1782. Sed cf. etiam Gab. Albspinpei *De veteribus Ecclesiae ritibus observationum* lib. 2. Paris. 1625.

(4) Cf. apud Rob. Sala op. cit. tom. I. lib. I. cap. 6. pag. 90. et seqq. tum apud Cotelier. PP. Apostol. tom. I. ubi etiam cf. Guil. Beveregi *De canon. Apost. judicium*.

(5) Paucis ab hinc annis Borussiae rex proposuit *liturgiam cultus Evangelici Ecclesiae* protestantibus lutherano-calvinianis, qua numerantur 7782. Et his regis jussioni statim 5345. obtemperarunt, et in praxim eam deduxerunt. Argumenta siquidem illius regis multum valent ad persuadendum. Cf. *L'ami de la rel* g. n. 1145.

(6) Sane S. Augustinus ex ritibus exultationis, exorcismorum, etc., adhiberi soliti in Ecclesia, argumentum instruit adversus pelagianos ad constabilidam fidem in eadem Ecclesia receptam de peccato originali.

novitates in Ecclesia machinati sunt, semper coepi-  
rint a receiptis his ritibus imputandis ac innovandis,  
non sine ingenti pacis et tranquillitatis iactura ei  
populi offensione (1). Hoc pariter demum fassi sunt  
iidem protestantes, qui in *Confessione Augustina atque Saxonica* aperte affirmant *Peccare illos, qui cæremonias cum scandalio violant, atque superbe contemnunt, quippe ordinem discipline ac regiminis interventent, et turbantes tranquillitatem*. Ille consobrant Melancthon, OECOLAMPADIUS, Hoffmeisterus, Grotius (2).

Sive igitur hujus potestatis originem spectemus, sive perpetuam Ecclesia proxim et sensum traditio-  
nalem, sive ipsorum adversariorum confessionem et  
proxim ac intimam ipsius rei naturam, luculenter pa-  
tet, quod proposuimus, receptos nempe, etc.

**DIFFICULTATES.** Obj. 1. Cæremonias suas ac ritus Ecclesia ab usibus Hebraeorum et ethnicorum derivavit, ut pluribus ostendit Spencerus (3). 2. Alique praeterea ex illis ridiculæ sunt, 3. et omnes innobiles, cum nihil conferant ad sacramentorum fructum, qui juxta catholicos ex opere operato producitur. 4. Sed et improbatæ fuerunt ab Apostolo, qui Coloss. II. 8. docet, non esse ab hominibus petendam doctrinam de vero Dei cultu, ne per inanem fallaciam abducent a grege Christi secundum traditionem hominum. 5. Eadem habet s. Augustinus monito Apostoli obti-  
perans (*Epi. LV. ad Jan. cap. 19*). 6. Sane primitiva Ecclesia cultu admodum simplici mysteria celebra-  
bat in spiritu et veritate; 7. præsertim cum semper instet periculum, ne ejusmodi rituum apparatu ac multitudine fidelium mens obruatur, et que cæremoniæ sunt cum essentialibus commisceantur, prout contigit Cornelio pontifici qui dubitavit de validitate baptismatis Novatiani, eo quod absque his ritibus ei fuerit administratum; 8. imo et contigit theologis ipsis, qui propterea nunc disputant de materia essen-  
tiali et integrali sacramentorum. Ergo.

Resp. ad 1. **Dist.** Omnes cæremonias Ecclesia ab usibus Hebraeorum et ethnicorum derivavit, N. nonnullas, Tr. vel Subd. Mutato objecto et fine, C. secus, N. Cum ritus ipsi per se indifferentes sint, ac totam suam bonitatem vel malitiam ex objecto et fine mu-  
tientur, mirum esse non debet, si nonnullos ritus Ecclesia ab Hebrais aut ethnicis adoptaverit, puri-

(1) Hæc non ita pridem in jansenistarum molitionibus tum ad antiquas ac ubique receptas consuetudines abrogandas, tum ad novas induendas contigisse compremis-  
tam in Galliis quam in Italia.  
(2) Grotius in *annot. ad Cassandra* tom. IV. p. 622. Hodmeisterus in *Harmon. Confess. August.* pag. 525; OECOLAMPADIUS in epist. ad Erasmum Ritterum; Melanchthon in cap. 4. Epist. ad Rom. cuius tantum verba, ne longior similitudine adducam: « Non probo, inquit, petulantiam illorum, qui ritus et traditiones sue probabili causa ubique viulant, seu studio novitatis, seu quadam contumacia. In his enim non solum pietas, sed etiam humanitas desiderari potest. Quid enim est inhumanius, quam aspernari publicos mores, præsertim si videantur discipline causa instituti? » Hinc Alphons. Vives *Philippica XIV.* catholicos a suorum dictionis liberat, quod in his cæremoniis vim agnoscant: « Nemo est, inquit, inter catholicos tam stupidus et supersticiosus, qui credat vestrum colorem aut formam et cæremonias alias hujusmodi justificare. »

(3) *De legibus Hebraeorum ritualibus* libri tres. Præser-  
tim lib. III. Diss. I. cap. 2. sect. 4. et cap. 8.

catos tamen ac mundatos ab omni superstitionis spe-  
cie, ut faciliorem iisdem viam sternet ad veri nu-  
trianis cultum amplectendum, ut observat Benedi-  
cens XIV (1). Non desunt erudit viri, qui negent  
Ecclesiam nonnullos ritus ab ethnici desumpsisse.  
sed contendant eos vel ex natura lege et instinctu,  
vel ex Hebraeorum institutis divinitus prescriptis, vel  
ex quibusdam divinorum librorum effatis, vel ex ca-  
tholicis dogmatibus originem habuisse. Verum, hoc  
omisso, si ex eo, quod ritus quidam nostri hebraicis  
ethnicius ritibus communes sunt, illi abrogandi es-  
sent, ergo et templo et altaria essent destruenda, si-  
quidem et ea tum apud Hebreos tum apud ethnici  
in usu fuere; quod nemo profecto contendet (2).

Ad 2. **Dist.** Si pravis aspiciantur oculis, neque  
attendant ad eorum significationem, C. si debito  
pictatis sensu, et ratione habita significatio, N.

Ad 3. **Neg.** Apposite multiplicem sacramorum rituum utilitatem sic exponit card. Bona: *Licet ipse cæremoniæ nullam secundum se perfectionem, nullam con-  
tinent sanctitatem: sunt tamen actus externi religionis, quibus quasi signis excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur charitas, crescit fides, devotio robatur, instruuntur simpliciores, Dei cultus oratur, conservatur religio, et veri fideles a pseudo-christianis et heterodoxis discernuntur* (3). Ad illud vero, quod additur de fructu sacramentorum ex opere operato, reponimus, nihil obesse hanc doctrinam fructui accidentalium, qui ex rituum apparatu colligi potest, pro majori vel minori pietatis ac fervoris sensu, ut præfertur, qui in animis nostris excitari potest, et *opus operantis* vocari consuevit.

Ad 4. **Neg.** Loquitur enim Apostolus in adducto  
textu de sublimitate fidei, non autem de ritibus aut cæremoniis. Merito autem asserit s. Paulus fidem nostram non esse petendam abs doctrinis hominum,

(1) Cf. In op. de Sacrif. Missæ lib. I. tum, in op. de Beat. et canon. Sanct. lib. I. cap. 1. Cf. etiam cruditatem ejus. Enman. de Azevedo S.J. *ad Liturgicæ Academ. coniuncti*. auditors premissam op. Bened. XIV. et. Rom. 1747. Recolantur quæ diximus Tract. de Cultu ss. n. 101.

(2) Profecto idem Spencerus hunc veluti scopum sibi propositum in op. cit. Deum scilicet voluisse, ut Moyses plures ex Agyptis et Zabienis ritus adoptaret, ut hac ratione populum sibi commissum ab idolatria, atque a superstitione averteret, commutando eisdem objectum. Certum est lotionem, seu baptisum, in usu fuisse tum apud Hebreos, præsertim post captivitatem, tum apud ethnici in mysteriis Isidis et Mithra. Numquid propterea alij cere debemus baptisum, quem constat a Christo fuisse institutum et præceptum? Huc porro adueniunt principia aduersariorum. Ad hæc profecto non adverterit Ant. Thysius, dum Exercit. VI. contendit ex genitilibus pontificis aspersio-  
neum suum accepisse. Cf. apud Th. Crenum fascic. IV. Opusculorum. Rotterd. 1694. pag. 477. Hæc omnia præ-  
occupata fuerunt a nostris. Satis est oculos conjectare in opus max citandum Card. Bona, qui ejusmodi nugis non minus doce, quam pie disjecte.

(3) Divin. Psalmi. cap. 19. § 5. Benedict. XIV. lib. I. de Sacrif. Missæ, et Trombelius de Baptismo, inter certos rituum sacrorum usum et dignitatem late exponunt. Nec defuerunt ex ipsis protestantes, qui apoligiam texerunt nostrorum rituum, inter quos non infimum locum tenet Claudio Harnes Kiel, archidiaconus protestans, qui pluribus editis operibus sese ostendit pseudo-reformatorum semper novis pullulantibus opinionibus, et catholicorum vindicias suscepit an. 1824. et 1825. qui propterea calumnias et dictionis a suis laceratus fuit.

qui Christo contraria docent, agit enim hic de super-  
stitione pharisæismo et de hebraizantibus (1).

Ad 5. vel **Neg.** vel **Dist.** Loquitur Augustinus de iis cæremoniis, que a privatis hominibus inducte fuerant, quæcum nullum in Scriptura, traditione aut publico Ecclesiæ universalis usu habeant fundamen-  
tum, C. loquitur de iis, quas propugnamus, N. ut patet ex orationis serie (2).

Ad 6. **Dist.** Ea scilicet atate, qua fideles metu per-  
secutionum compulsi in crux plementum ac cœmeri-  
tis delitescentes, sacra peragere cogebantur absque  
illo magnifico rituum apparatu, quo postea pace  
reddita, illico ab iisdein celebrata sunt, C. absque  
ullis prorsus cæremoniis, N. Contrarium enim con-  
stat ex iis que retulimus.

Ad 7. **Neg.** Ex dictis enim patet, fidelium mentem mirifice ad pietatem adjuvari; neque timendum est periculum quod jactant adversarii ex cæremoniarum usu, dummodo accedit opportuna instructio. Sane nemo est qui nesciat, validum esse baptismum in casu necessitatis absque cæremoniis collatum; id ipsum de ce'ris dicatur. Numquam porro dubitavit Cornelius de baptismi fructu ex defectu cæremoniarum Novatiano dati, sed dubitavit de ejusdem dispositione, prout suspectum Ecclesiæ semper fuit hac de ipsa causa baptismus clinicorum, eorum scilicet, qui non nisi in extremo vite exitu baptismum suscepibant (3).

Ad 8. **Dist.** Quoad omnia sacramenta, N. quoad aliqua, Subd. Quia adhuc reipsa incerta est et senti-  
lis materia ob traditionis obscuritatem, et Ecclesia nihil circa eam decrevit, C. ob rituum inducio-  
nem, N. Addo ejusmodi theologorum disceptationes speculativas esse, nec quidquam præcius officere.

#### CAPUT V. IN SUPERIUS DISPUTATA SCHOLIA.

Ne cogeremur disputationis seriem abrumperemus,  
quam adversus hereticos instituimus, intendo peculiares controversias, que in scholis catholicis agitantur, præstitutimus nonnulla adjicere scholia, que simul et quæstiones istas complectantur, et lu-  
cem affundant iis que disputata sunt.

(1) Cf. Bern. a Picon. in h. I. Etiam Georg. Rosemüller id fatetur, qui explanans hunc locum inter cetera scribit: « Verba: *secundum decretum et doctrinas hominum* conjuganda sunt verbo *συμπαριστεῖτε* v. 20. et sensus totius loci v. 20. 21. 22. est: quid suscipitis aut fertis, si quis vobis ingerit, ista decreta (qualia sunt, noli tangere); neve gustare, neve concretrare hujus rei aliquid, quod est vetum lege Mosaica, veterumque præceptis, cibos in primis interdictos, *quod omne perit tamen*, scilicet *conficitur ipso usu*; quæ certe de cœra proficisciuntur præcepta doctrinæ humanæ. »

(2) Nam in hac ipsa epist. LV. probavit que ab universo Ecclesia instituta sunt et ubique servantur; deinde c. op. 19. n. 35. invenitur in illos, qui nova semper obtrudunt, quicunque *« Servilibus, ut ipse loquitur, oneribus (Ecclesiæ) preuant, ut tolerabilius sit conditio Judeorum, qui etiam tempus libertatis non agnoverunt, legalibus tamen sarciniis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur. »* Existimat proinde, ubi facultas tribueretur, hæc esse rezecanda; sed hæc nihil commune habent cum ritibus de quibus nos disserimus.

(3) Adeo semper Ecclesia abhorruit ab ejusmodi be-  
pissimi dilatione, ut irregulares declararet eos, qui in mortis periculo suscepserint baptismum. Causas vero, quibus plures inducebantur ad differendum baptismum, suo loco recensēbimus.

I. Circa sacramenta veteris legis inquire solet a theologis, in primis num in statu innocentiae sacramenta fuerint, aut saltem forent, si diu status ille permansisset. Porro nulla fuisse, aut etiam futura fuisse sacramenta in illo innocentiae statu, si diutius ejusmodi status permansisset, censet s. Thomas; cum neque ut homines per ea sanctificarentur, neque ut depellerentur sensum illecebre, que nulla in eo erant, sacramenta essent instituenda (Cf. 5. p. q. 61. a. 2). Alii tamen contraria sententiam tuentur (1). Res incerta est, nec nos quidquam affirmabimus aut negabimus.

Inquiri præterea solet, num in statu legis naturæ tam pueris quam adultis aliquo sensibili signo fuerit applicata fides, qua illi ab originali peccato, isti præterea a peccatis actualibus ablui ac sanctificari poterint. Quoad adultos fere omnes convenient, aut per preces aut per sacrificia una cum interioribus dispositionibus eos consequi potuisse remissionem peccatorum (2). Verum quoad pueros res valde incerta est, cum Scripturæ de hoc remedio, ad delendam in ipsis originariam labem, penitus sileant, patres vero in diversas abeant sententias. Certe Tertullianus (3), s. Gregorius M. (4) et s. Bernardus (5), censuerunt per solam parentum fidem, absque sensibili peculiari signo, parvulos fuisse justificatos; alii autem docuerunt, etiam infantibus opus fuisse ad justificationem aliquo externo sacramento, ut s. Augustinus; s. Thomas priorem sententiam probabilem arbitratur (6). Nihil proinde certi constitui posse videtur.

(1) Ut Suarez in 3. p. s. Th. q. 61. a. 2. disp. 3. sect. 3. Isambertus *de sacram. in genere* ad Quest. 61. Dis. p. 1. art. 2. aliisque, quos non vacat enumerare. Quod tamen magis mireris est, nonnullos protestantes, qui vix duo sacramenta a Christo instituta agnoscunt, contendere tamen saeraenta fuisse in statu innocentiae. Jos. Volf. Jagerus lutheranus in *Jure Dei federato cum hominibus* Q. V. autunat, arboreum vite sacramenta fuisse; Jo. Braunius in *Doctrina fœderis* vol. I. p. 5. cap. 2. agnoscit duo sacramenta, *Paradisum scilicet, et arborem vitae*; Hernan. Wistius in lib. 1. *De œconomia Dei cum hominibus*, censet fuisse *quatuor, Paradisum, arborem vitae, sabbatum, et arborum scientie boni et mali*.

Si quis cupiat ulterius inquirere, utrum forent sacramenta quod posteros Adæ, si ipse non peccasset, consultat Vasquez in 3. p. S. Th. tom. n. Disp. cxxx. cap. 2. et seqq.

(2) Dixi *fere omnes convenient*; nam non desunt ex theologis scholasticis, qui iniciati fuerint, extitisse sacramenta in statu legis naturæ, ut Dom. Soto, Ledesma, Durandus apud Vasquez loc. cit. art. 5. quibus accessit Vasquez ipse.

(3) Lib. de Bapt. cap. 13. ubi respondens difficultati sibi proposito contra necessitatem baptismi, eo quod prius *satis fuerit fides*, «Fuerit, inquit, salus retro per fidem nunc ante Domini passionem et resurrectionem.»

(4) Lib. iv. Moral. cap. 3. cuius verba haec sunt: «Quod aqua nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii.»

(5) Tract. de Baptis. cap. 1. n. 4. «In nationibus, inquit, quotquot inventi sunt fideles, adultos quidem fide et sacrificis credimus expiatos, parvulis autem *sola fides* pro fuisse, imo et sufficiens parentum fidem.»

(6) Nam in IV. D. i. q. 2. a. 6. scribit: «Quidam dicunt, quod non sufficiebat fides sine protestatione fidei facta per aliquod exterius signum... sed quia hoc non videtur consonare cum verbis Gregorii... ideo alii *probabiliter* dicunt, quod parvulus sufficiebat sola fides sine omnibus exteriori signo.» Hugo Victorinus in Summa. Tract. III.

In statu legis scriptæ, ad quam refertur circumcisionis, licet jampridem hæc fuerit Abrahæ a Deo præscripta, certum est plura in eo sacramenta fuisse, agnum paschalem, sacerdotum ac pontificum conæcrationem ac diversi generis sacrificia.

Doctrina conciliorum Florentini ac Tridentini est, plurimum differre sacramenta antiquæ a sacramentis novæ legis. In quo autem discrimen istud ponendum sit, theologis investigandum reliquerunt. Igitur differunt ab invicem quoad ceremonias, facilitatem, numerum, et quia vetera ad tempus, nova usque ad consummationem seculi instituta sunt. Atque ista penes omnes rata sunt.

Controversia autem viget circa gratiae conferendæ vim. Communiter theologi, angelico præceptore duce, existimant sacramenta mosaicæ omnem conferendæ gratia virtutem *ex opere operantis* habuisse, seu ex merito fidei vel ministri vel suscipientis. Etenim apostolus Galat. IV. 9. sacramenta illa vocat *infirma et egena elementa*; et Hebr. IX. 9. scribit: *Munera et hostiae offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem*; et ib. 15. *Sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*; id est, tribuunt sancitatem legalem, quia addit ib. X. 4. *Impossible est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata*. Communem hanc sententiam adoptavit Eugenius IV, (1) et insinuat Tridentinum.

Alii autem, nec pauci nec ignobiles theologi, sentiunt veteris Testamenti sacramenta, utpote signa protestativa fidei, vim habuisse remittendi peccata *ex opere operato*, non quidem *per se*, sed *ut aiunt, per accidens*, quatenus Deus his signis fidei protestativis alligaverit gratiam suam. Nam, aiunt hi theologi, sacramenta veteris legis *per se* instituta sunt ad significandum Christum, ratione autem hujus significationis gratiam producebant. Ita Hugo a s. Victore, s. Bonaventura, Estius aliquip (Cf. Estium in IV. D. Is. § 28). Hi propter hoc agnoscunt discrimen inter utriusque legis sacramenta, quod mosaicæ primo et per se ordinata fuerint ad significationem futurorum, non autem ad efficiendum aliiquid, nisi exterius circa carnem. Sed tamen quia significabant id, quod fides credit, in eorum susceptione fuerunt fidei protestatio, atque idcirco per accidens et secundario illa sacramenta justificabant; sacramenta vero N. L. cum primo et per se ordinata sint ad gratiam conferendam et non tantum ad significandum aliiquid, justificant per se; ita fere s. Bonaventura, qui concludit, quod sacramenta N. L. justificant per se,

cap. 1. censuit etiam pro parvulis necessaria fuisse sacramenta. Cf. tom. iii. fol. 203.

(1) Instruct. Armen. Recensis enim septem N. L. sacramenta prosequitur summus pont. «Quæ nullum a sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandum esse figurabant: hæc vero nostra et continent gratiam, et ipsam dignæ suscipientibus conferunt.» Ajud Hard. Acta Concil. tom. ix. col. 459. Prelixam porro hanc doctrinam, quam ibi tradit. Eugenius d'escritus ex opusculo V. s. Thome *de sacramentis*.

sacramenta autem V. L. non justificant nisi per accidens (1).

Hæc sententia his theologis commodior videtur ad componenda Scripturarum et patrum testimonia, quæ videntur vim aliquam tribuisse V. T. sacramentis; sic Lev. I. IV. V. XVII. et Num. XV. sacrificiis leviticis, quæ pro peccato offerebantur, effectus remissionis peccatorum tribuitur his atque similibus verbis: *Orabitque pro eo sacerdos, et dimittetur ei; et propitius erit ei Dominus... Sanguis pro animæ piaciolo est*. Hæc confirmatur ex iis, quæ scribit apostolus Hebr. V. 4. de sacrificiis V. T. *Omnis poenitex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*. Quibus consonant, quæ de sacramentis V. T. habent s. Augustinus et s. Ambrosius, quorum prior dicit ea *in enarrabiliter plurimum valere* (Lib. XIX. cont. Faust. cap. 11); alter vero: *Circumcisio, inquit, purificavit, sanctificavit lex, vivificavit gratia* (2).

Quidquid porro de hac controversia sit, quæ diutius non vacat expendere, illud commodi ex ea habemus, quod tuto possit affirmari sententiam asserentem sacramenta V. L. produxisse gratiam *ex opere operato*, saltem per accidens, fidei non adversari, ut enim scite observat Bellarminus, haec scholasticorum doctrina, quæ talem tribuit efficaciam sacramentis V. L.; præsertim vero circumcisio, confundi nequit cum erroribus hereticorum. Isti enim sacramentorum omnium, tam Nova quam Veteris Legis, vim exequant detrahendo Nova Legis sacramentis, dum negant ab ipsis produci gratiam *ex opere operato*; contra vero scholastici illi sacramentis a Christo institutis nihil detrahunt, sed vetera tantum extollunt, nec sine aliqua restrictione (3).

(1) In IV. D. I. Q. V. «Multi probabilis est, inquit, quod Magister Hugo posuit, quod cum in illo opere operato esset professio fidei facta, quod ratione tñde conjuncte erat in illis primo, et per illa (per accidens tamen, justificatione) » Opp. ed. Ron. fol. tom. v. pag. 15.

(2) Lib. vii. in Luc. n. 106. Cf. Estium loc. cit. qui propter solvit difficultatem petitan ex S. Th. *a causa efficiente sacramentorum, passione scilicet Christi*, quæ non potuit esse prior suo effectu; respondet enim Christi passionem esse *causam meritiorum* justificationis, ut declaravit Tridentinum, hinc eadem ratione poterat operari per sacramenta V. L. qui operatur in sacramentis N. L. Observat insuper per contrarium sententiam plus efficacie tribui fidei in V. T. quam in Novo; etenim sine sacramentis et sacrificiis potuisset justificare, quod amplius nunc non potest; deinde videntur in ea enervari probationes catholicorum, qui ex similibus N. T. testimonios probant sacramenta Novæ Legis gratiam conferre.

(3) Lib. ii. de Sacram. cap. 15. n. 6. Qui tamen censuit, tunc a Conc. Florentino, tunc a Conc. Tridentino definitum fuisse mosaicæ sacramenta non producere gratiam *ex opere operato*. Sic enim initio hujus capituli, scilicet n. 1. scripsit: «Catholici omnes convenient, sacramenta V. L. quæ proprie mosaicæ dicuntur, non contulisse gratiam *ex opere operato*. Id enim docent omnes theologi in 4. dist. 1. et idem defensivit Concilium Florentinum in Instruct. Armenorum; et Conc. Tridentinum, quamvis brevius et obscurius, quia non erat necesse, cum iam res esset definita, sess. 7. can. 2.» At si id jam fuisse definitum, nemo catholicorum ansus fuisse docere, aut circumcisionem aut sacramenta mosaicæ reliqua vim habuisse producendi gratiam *ex opere operato*, saltem per accidens, seu quatenus soltem erant signa protestativa

In istorum theologorum sententia facilius etiam componuntur, quæ de vi et efficacia circumcisionis contraria prædicari videntur, sive a sacris litteris, sive a sanctis patribus. Etenim Genes., XVII, 14, legitur: *Masculus cuius præputii caro circumcisæ non fuerit, delebitur anima illius de populo suo, quia pater meum irritum fecit*. Quibus verbis potissimum innixus s. Augustinus contendit circumcisionem institutam fuisse ad delendam originalem labem. Eum plures theologi sequuntur. Contra vero Apostolus, I Cor., VII, 19: *Circumcisio, inquit, nihil est*. Et Genes., XVII, 11, instituta circumcisione perhibetur *Ut sit in signum fœderis initi scilicet cum Abraham ejusque posteritate*. Hinc s. Justinus scribit: *Circumcisio (Abraham) accepit in signum, non ad justitiam* (1). Similia habent Ireneus, Tertullianus, Chrysostomus alique patres græci ac latini (2). Bellarminus hos secutus, nihil in circumcisione propter merum signum agnovit, nullam habens tollendi peccata efficaciam. Hi proinde theologi spectant circumcisionem in se, alii, qui s. Augustino adstipulant, spectant circumcisionem velut fidei protestativam. Nihil porro vetat, quominus sub hoc posteriori respectu, in circumcisione etiam agnoscatur remedium ad delendum peccatum originale, dummodo tamen id non intelligatur in sensu, ut aiunt, exclusivo; cum plura alia media ad hunc effectum producendum esse potuerint, præsertim pro infantibus, qui ante octavum a nativitate diem decessissent, et pro feminis (3).

II. Et hæc de sacramentis V. L. adnotanda erant. Nunc vero, quod attinet ad sacramenta N. L., atque ad ea quibus ea constituantur et constant. Duabus ipsis præsertim conflantur partibus. Has veteres patres et ecclesiastici scriptores appellant *res, signa, elementa*; et *verba, orationem*; instar omnium sit Augustinus, qui scribit: *Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum*. Postquam vero Aristotelica philosophia in christianis scholis adoptari cepit, *materie et formæ vocabula in theogiam translata* sunt, atque adscita a concilio Tridentino et Eugenio IV, qui in celebri suo decreto: *Omnia sacramenta, inquit, tribus perficiuntur; rebus tanquam materia*,

fidei; attamen non pauci hanc sententiam, ut vidimus, tenerunt. Addit Instructionem Armen. non posse, si accurate loqui velimus, vocari definitionem concilii Florentini, nam, ceteris omisis, sequeretur de fide esse *correctionem instrumentorum in collatione ordinum majorum esse materialm essentialm horum ordinum*, quod tamen nec ipse Cardinalis contendit, immo contrarium adstruit, ut suo loco dicimus. Concilium denique Tridentinum loc. cit. hoc non definit, nti expousimus.

(1) Τὴν περιφύλαξιν εἰς εὐηγέρσιον, ἀλλὰ οὐκ εἰς διατάσσεσθαι εἴδετο. In Dial. cum Tryph. n. 23.

(2) Cf. apud Bellarm. lib. ii. de sacram. cap. 15. (3) Hic obiter notanda est singularis Bede sententia, quam Refert Hugo Victorinus tom. iii. Tract. III. de Sacram. fol. 203. ubi scribit: «De mulieribus autem quæritur, quod remedium contra originales peccata habent. Respondet: fidei, oblationes et sacrificia. Solet quæri etiam de parvulis, qui moriebantur ante octavum diem, quod remedium haberent, vel utrum damnarentur; Beda videtur dicere, quod damnarentur, dicens, etc.» Prudenter tamen concludit Hugo: «Sed melius videtur hoc Dei relinquendum iudicio, quam temere aliquid definire.»

*verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi id quod facit Ecclesia (1)). Idque factum est ob quamdam analogiam, que intercedit inter partes physici compositi, et partes sacramenta constituentes. Jam vero per materialem sacramenti intelligitur id, quod ante verba a ministro proferenda praecistere concipitur; per formam verba que a ministro proferuntur in collatione sacramenti. Ceterum non semper aliquid materiale in ea re, que materia nuncupatur, requirendum est.*

*De forma conditionata ita scripsit Benedictus XIV, lib. VII, de Synodo dioces., cap. VI. Formam conditionatam a scolasticis esse adinventam, nonnulli viri eruditii existimant, sed eos toto celo aberrasse ait Martene (*De antiqu. Eccl. ritibus, tom. I, lib. I, cap. 1, art. 16, n. 9*): licet porro ante sec. VIII predice conditionata formula expressam mentionem in conciliis et patribus non inveniamus, non recte tamen inde intulit Natalis Alex. illam non fuisse in usu; quinimo ex antiqua et constanti Ecclesiæ praxi oppositum colligi putamus; quod hac argumentatione ostendimus. Perpetuum catholicæ fidei dogma fuit, unicum esse baptismus, quod propterea rite collatum sine gravi piaculo iterari posse, semper Ecclesia negavit. At eadem Ecclesia, que ita docuit, eos nihilominus, de quibus disputabatur, an essent in Christo regenerati, incunctanter baptizandos præcepit. Jam vero, ne dicamus Ecclesiam incidisse in errorem rebaptizantium, quem toties detestata est, necesse est existimare, non aliter in ea dubitate baptizatum conferri voluisse, quam sub tacita et mente concepta conditione, si nondum es baptizatus; haec autem conditio, que prius mente tantum concipiebatur, cepit, sec. VIII, cum ipsa baptismi forma exprimi et pronuntiari, quam quidem disciplinam Alexander III ubique servandam edixit, eamdemque sanctionem confirmavit Joannes XXII (*Apud Raynaldum ad an. 1355, n. 42*). Ita Bened. XIV. Porro illis Rom. Pontificibus accessit Pius VI a quo *Deliberatio synodi (Pistoriensis), qua prætextu adhesionis ad antiquos canones in casu dubii baptismatis propositum suum declarat de omitenda formæ conditionalis mentione et est Prop. XXVIII, proscriptur in Constit. Auctorem fidei tanquam temeraria, praci, legi, auctoritati Ecclesiae contraria.**

Hila tamen conditio passim ac temere non est adhibenda, sed tunc solum ea uti licet, cum prudens et probabilis subest dubitatio, an quis rite fuerit baptizatus et ordinatus, nec potuit post diligenter præmissam indagationem rei veritas innotescere (2). Atque haec quod sacramenta characterem imprimunt. Quod sacramenta reliqua consuli possunt theologie moralis tractatores.

III. Ex dictis circa formam, qua tacite ac mente conceptam conditionem includebat, quæque obti-

(1) Apud Hard. loc. cit.

(2) Ita rursus Bened. XIV. loc. cit. n. 3. apud quem cf. quando *probabilis dubitatio adesse presumi possit*, ita ut licite sibi conditione baptismus conferri queat.

nuit septem prioribus Ecclesie seculis, non modica lux affulget ad enucleandam controversiam circa objectum intentionis, que ad sacramentum consciendum in ministro requiritur. Juxta Ambrosium Catharinum, stat omnino ac valet sacramentum, si minister dumtaxat intendat celebrare ritum illum, quem Ecclesia celebrat, et illum re ipsa libere, serio, omnique semoto joco exterius usurpat, materiali adhibens formamque pronuntians in iis maxime circumstantiis, ex quibus determinatur ad agendum tanquam Ecclesiæ minister. Illic nihil juxta ipsum obest valori sacramenti, si illa intra mentis latebras contrarium intentionem gerat, qua nolit actionem suam esse talem sacramenti actionem qualiter Christus institut (1).

Catharinæ sententie subserbunt plerique Galli theologi, his potissimum rationum momentis permoti, 1. Si sacramenti valor ab interiori ministri intentione penderet, jam pravitas ministri officeret sacramenti valori, secus ac Ecclesia doceat adversus donatistas; 2. s. Augustinus, Innocentius IV et s. Thomas internam intentionem minime requirunt ad valorem sacramenti, ut constat ex eorum testimoniis, suo loco adductis (Cf. sup.; n. 455 et seqq.). 3. Hæretici ad unitatem redeuntes interrogantur ab Ecclesia de materia et forma, qua suscepérunt sacramenta, nihil vero de intentione ministri. Cur? Nisi quis ritum exteriorem satis esse putat. 4. Male animarum bono ac tranquillitatí prospperisset Christus, si sacramentorum vim a ministri intentione pendere volisset. 5. Sacraenta operantur ex opere operato. Itaque sunt ut ignis quem si stupre admoveas, utu vehementer nolis, eam accendit.

Contrarie sententie de necessitate interioris intentionis adstipulantur plerique theologi Itali, ceterarumque nationum, qui his ferme argumentis pugnant. 1. Ministri sacramentorum sunt ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei; ergo eos oportet habere proprie dictam intentionem faciendi illud quod Christus instituit; id vero non præstat qui simulat ministrare, immo positive intendit nolle facere quod Christus instituit. 2. Eugenius IV et concilia exigunt in ministro intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; sed Ecclesia non simulat, sed intendit facere rem sacram. 3. Alexander VIII hanc propositionem que est n. XXVIII proscriptit: *Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat: intus vero in cordu suo apud se resolut: non intendo facere quod facit Ecclesia* (Cf. *Viva op. cit. in hanc prop.*). 4. In rubricis Missalis Romani a Clemente VIII probatis, irrita declaratur consecratio ejus, qui habens coram se undecim hostias intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit, cuius declarationis haec affertur ratio: *Quia requiritur intentione*

(1) Cf. Ambros. Catharinæ *de necessaria intentione in perficiendis Sacramentis* opera Jac. Hyac. Serry. Patavii 1727. qui postea editi aliud opus cui tit. fecit: *Vindictio vindiciorum Ambrosii Catharinæ, ubi uitius adhuc Catharinæ sententiam exponit.*

utique interna, ut patet. 5. Ad haec accedit praxis universæ Ecclesie circa formam conditionatam, de qua nuper disserimus, conditione tantum mente concepta, que quidem praxis per septem integra secula viguit; cum igitur haec conditio mente retenta ideo apponetur, ne iterum administraretur sacramentum jam rite collatum, patet interiorum intentionem ex sensu Ecclesie influere in valorem sacramenti, alioquin perperam apposita fuisset.

Horum ope difficile non est istis theologis sese ab adversariorum extricare argumentis. Hinc reponunt, longe diversam fuisse causam donatistarum, quin permisceri eam liceat cum præsenti controversia; illi enim ex pravitate morum inferebant invalidatem sacramentorum, hic agitur de intentione requisita ad conficiendum sacramentum. De vera sancti Augustini mente, nec non Innocentii ac B. Thomæ constat ex iis, que disputata sunt adversus novatores. Ideo autem Ecclesia ab hæreticis ad unitatem redeunibus nihil querit de intentione ministri, quia hujus rationem nullam reddere possunt revertentes, atque in ipsis ministris hæreticis fuisse presumpsum, nisi contrarium probetur. Incommoda, que urgent, nullius

(1) De Synodo dice. lib. 7. cap. 4. n. 9. ex his constat nihil in praxi valere illorum TT. sententiam, qui negant necessitatem interioris intentionis.

## TRACTATUS DE BAPTISMO.

Baptisma, primum sacramentorum per quod adiutus in Christi Ecclesiam patet, variis nominibus in Scriptura et antiquitate donatum est pro diversitate vel effectuum. Interdum enim sacramentum aquæ, vita novæ, fidei, illuminationis; interdum nativitas secunda, lavacrum regenerationis et renovationis nuncupatur (1). Definitur autem a catechismo romano sacramentum regenerationis per aquam in verbo (Part. 2. cap. 2. § 5). Quatenus est sacramentum, cum reliquis convenit; in genere nempe signi visibilis invisibilis gratiae; quatenus dicitur regenerationis, exprimit spiritualem nativitatem, quam per ipsum consequimur; quatenus additur per aquam in verbo, denotantur essentialis ejusdem partes, que ex materia et forma constituuntur.

Veritatem hujus sacramenti omnes sectari recentiores, qui saltem adhuc retinent sacramenta, admittunt. Nobis propterea onus non incumbit eam adstruendi. Veteres siquidem hæreses archonticorum, marcosianorum, valentinianorum et quintilianorum, qui rejecerunt baptismum tanquam a deo Sabaoth aut malo principio profluens, jamdiu obsolete sunt, quin opus sit eorum deliramenta insectari.

De baptismatis a Christo instituti præstantia item

(1) Nomina quibus insignitus fuit baptismus in primitiva Ecclesia pluribus prosequitur Bingham. *Orig. et antiqu. Ecclesiæ*. vol. IV, lib. XI. toto capite primo.

(1) Patres unanimiter discerunt agnoscent inter baptismum Joannis et baptismum Christi quodam viu et efficaciam, quorum longum esset catalogum exhibere. Eorum testimonia profert Bellarmine lib. *De baptismo* c. 21. § 12. et seqq. Calvinus ipse non difficitur, patres diversam viu agnoscisse in utroque baptismate, sed more suo patrum auctoritatem contendit. Scribit enim *Instit.* lib. IV. cap. 13. § 7. «Nemini perturbet, quod alterum ab altero discernere veteres contendunt, quorum non tanti esse nobis debet caleculus, ut Scriptura certitudinem quatefaciat. Quis enim Clrysostomo potius auscultet, neganti in Joannis baptismio comprehensam fuisse peccatorum remissionem,